



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

Parisiis, 1644

XVIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15974

Idem in eodem. Ordinarii locorum subditos suos plures dignitates, vel ecclesias, quibus animarum cura imminet, obtinentes, seu personatum, aut dignitatem cum alio beneficio, cui cura similis est annexa, districte compellant, dispensationes, auctoritate quarum huiusmodi ecclesias, personatus, seu dignitates canonice tenere se asserunt, infra tempus, pro facti qualitate ipsorum ordinariorum moderandum arbitrio, exhibere. Quod si forte, iusto impedimento cessante, nullam dispensationem infra idem tempus contigerit exhiberi, ecclesiæ beneficia, personatus, seu dignitates, quæ sine dispensatione aliqua, eo ipso illicite detineri constabit, per eos, ad quos eorumdem collatio pertinet, libere personis idoneis conferantur. Ceterum, si dispensatio exhibita sufficiens euidenter appareat, exhibens nequaquam in beneficiis huiusmodi, quæ canonice obtinet, molestetur. Prouideat tamen ordinarius, qualiter nec animarum cura in eisdem ecclesiis, personatibus, seu dignitatibus negligatur, nec beneficia ipsa debitum obsequiis defraudentur. Si vero de dispensationis exhibitæ sufficientia dubitetur, super hoc erit ad sedem apostolicam recurrendum, cuius est æstimare, quem modum sui beneficii esse velit. In conferendis insuper personatibus, dignitatibus, & aliis beneficiis curam habentibus animarum annexam, iidem ordinarii diligentiam illam obseruent, vt personatum, dignitatem, vel aliud beneficium similem curam habens, alicui plura similia obtinenti non ante conferre

præ-

ANNO
CHRISTI
1574. præsumant, quam eis super obtentis dispensatio cui-
denter sufficiens ostendatur. Quia etiam ostensa,
ita demum ad collationem procedi volumus, si ap-
pareat per eamdem quod is, cui est collatio facien-
da, huiusmodi personatum, dignitatem, vel bene-
ficium retinere licite valeat cum obtentis. Vel si
ea, quæ sic obtinet, libere ac sponte resignet. Ali-
ter autem de personatibus, dignitatibus, & bene-
ficiis talibus facta collatio nullius penitus sit mo-
menti.

XIX.

De postulando.

Gregorius decimus in generali Concilio Lug-
dunensi. Properandum nobis visum est, ut ma-
litiosis litium protractionibus occurratur: quod
speramus efficaciter prouenire, si eos, qui circa iu-
dicia suum ministerium exhibit, ad id congruis
remediis dirigamus. Cum igitur ea quæ ad hoc
salubriter fuerant circa patronos causarum legali
sanctione prouisa desuetudine abolita videantur,
nos sanctionem eamdem præsentis rediuiuæ con-
stitutionis suffragio, cum aliqua tamen adiectione,
nec non & moderamine renouantes, statuimus
ut omnes & singuli aduocationis officium in foro
ecclesiastico, siue apud sedem apostolicam, siue
alibi exercentes, præstent, tactis sacrosanctis euan-
geliis, iuramentum, quod in omnibus causis ec-
clesiasticis, & aliis in eodem foro tractandis, qua-
rum assumpserunt patrocinium, vel assument, om-
ni virtute sua, omniisque ope, id quod verum & iu-
stum existimauerint suis clientulis * inferre, procu-
rent; nihil in hoc studii, quod eis sit possibile, re-

Concil. Tom. 28.

Cccc